



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

1. De Horrenda Poena & interitu Herodis Ascolonitæ Idumæi infanticidæ.
Euseb. lib. 1. Ecclesiast. hist. cap. 8.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

HISTORIAE ECCLE-
SIASTICAE, ET DICTA, IN
PRIMIS MEMORABILIA, EX

*Eusebio Casariensi selecta, & car-
mine Elegiaco reddita.*

- I. DE HORRENDA POENA
& interitu Herodis Ascolonitæ Idu-
mæi infanticidæ. Euseb. lib. 1.
Ecclesiast. hist. cap. 8.

Herodes hostis Christi sæuusq; Tyrannus,
Impius has pœnas interitumq; tulit.

Quod Sathana instinctu puerorū sanguine sæuus,
Bethlemica crudas polluit vrbe manus.

Huius vt inuasit corpus, mox sæuiox vrget
Morbus, quæ scelerum pœna luenda fuit.

Externos etenim sæuit ferus ignis in artus,
Caca sub interno viscere flamma furit.

Quin & dira fames & non satiat a libido,
Semper erat potus ingluuesq; gula.

Intus & vlceribus putrefactis viscera squallent,
Est quoq; coli ingens, est laterumq; dolor.

Atq; pedes circum profluxit fœtidus humor,
Pube tenus tendens inguina tetra viro.

Ipsa verenda etiam corrupta putredine fœda,
Rodenti multo lurida verme scatent.

Anno
Christi 7.
regno He-
rodus 37.

Spiritus & totum distendit corpus & inflat.
 Conuellunt flatus excruciantq; feri.
 Redditur & putri dirus de corpore foetor,
 Foetor, quo potuit tetrius esse nihil.
 Naturalis erat non hic in corpore morbus,
 Desuper hæc scelerum reddit a pœna fuit.
 Tantus erat toto cruciatus, corpore tantus
 Foetor, vt hæc fessus non tolerare queat.
 Consulit impatiens medicos, medicamina multa
 Admouet: ast medici non iuuat vlla manus.
 Abluit in thermis se crebrò & Iordanis vnda,
 Corporis immergit putrida membra sui.
 Atq; oleo corpus, vitæ spe ductus inani,
 Lauit, perfundens vnguine sæpe suum.
 Diffluit hic tandem totus turpisq; fatiscit,
 Atq; loco (horrendum) lumina mota fluunt.
 Pòst vbi iam mortem desperans sentit adesse.
 Edit crudelis signa nefanda necis.
 Hiericho à famulis eger delatus in urbem,
 Iudæa primos conuocat inde viros.
 Innocuos cæco concludit carcere, & omnes
 Occidi sæuus, post sua fata iubet.
 Namq; animam effundens crudeli morte, sorori
 Illius atq; viro talia iussa dedit:
 Certò, ait, ex cruda Iudæos gaudia morte,
 Capturos nostra, letitiamq; scio.
 Hos igitur claro Iudæos stemmate natos,
 Obtruncate statim, post mea fata, viros.

Nostra

Nostra vel inuiti doleant sic funera mœsti,
 Sic sua cum nostris funera quisq; fleat.
 Vos parete mihi: miles qui iussa capebat
 Nostra, per insidias spontè paratus erit.
 Hæc fatus rigido cruciatus corporis æstu,
 Intulit ab expes vimq; necemq; sibi.
 Nam cultrum, veluti consueuerat antè, petebat,
 Pomum ceu comedens excoriare velit.
 Impulit in pectus ferrum: sic vita sub vmbra
 Indignata fugit, perpetuòq; gemit.
 Hostis sic perijt, sæua qu. cæde puellus
 Sustulit, vt natum tollat & ipse Dei.
 Sic pereant hostes Christi: non iustior est lex,
 Quàm necis artifices arte perire sua.

2. DE MINISTERIO ET OFFI-
 cio Ioannis Baptistæ, ex Eusebio
 lib. I. Ecclesia. hist. cap. 13.

Ioannes Baptista sedulò docuisse fertur, Anno
 vt virtuti operam demus, & iustitiam in- Christi
 ter nos custodiamus, & in Deum serue- 30.
 mus pietatem, per Baptismum acceptabilem Matth. 3.
 Deo, si non solùm ad abluenda peccata fu- Mar. 1.
 matur, verumetiam ad castimoniam corpo- Luc. 3.
 ris, atq; ad animæ iustitiam, vel vt signacu- Iohan. 1.
 lum, & custodia quædam fidelis habeatur.

Dogmata qua sanctus Christi præcursor Iesu,
 Tradidit, hanc summam, sub breuitate, tenent.